



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

AD LECTOREM.

Habes, rerum diuinarum auscultator studiose, opus de Gratia, primam inter posthumas sceturam Patris Francisci Soarij, quam non educauerat tantum, sed suo ipse calamo tandem distinxit, & compisit. Habes, inquam, primum de GRATIA, tertiumque volumen; nam secundum, quod in libertate creata, Deique auxilijs conciliandis ponitur vniuersum, à suo authore omnibus adornatum numeris, præloque sepositum conseruatur, ac Romanæ Sedis auctoritatem operitur in dies; sic enim Soarij erga illam Sedem merita præclarissima: & Pontificis rescriptio paulo inferius subiicienda sperare nos iubent. Vnum præterea de Angelis prodibit volumen; de Opere, vt vocant, sex dierum, deque Anima, alterum; quibus post olim editos de Deo Vno, ac Trino libros, vniuersa perficitur doctrina, quam Sanctus Thomas in primam suæ Summæ partem contulerat. Ad hæc multiplex iustæ molis tractatio sequetur de humano fine, ac voluntario, de Bonitate, malitiaque actuum humanorum, atque adeo de passionibus, virtutibus, & peccatis; qua fiet, vt primum quoque secundæ partis Sancti Thomæ volumen locupletatum abeat, quando nihil pene ex illo enucleandum relinquitur, editis alibi de Beata Visione, de Legibus, deque Gratia egregijs monumentis. Iam ad duo de Religione ante euulgata, totidem accedent, quæ diu multumque desiderantur. Suum deinde volumen iure vendicant perfectiones de Fide (additis, quas olim Romæ, vel in Hispania de Spe, & Charitate publicè dictauerat) qui fuit postremus sapientissimi Doctoris labor in hac Conimbricensis Academiæ primaria sede, cui duos ante obitum annos remiserat nuntium, ac si iam inde receptui caneret ad æternitatem. Denique non minoris expectationis opus pollicemur varijs aggestum consiljs, vtinam superessent omnia illa, quæ viginti fere per annos certatim poscentibus dedit. Neque vero prolem minus numerosam educere potuit, aut educare secundum adeo, felixque ingenium non alieno subsidio egentem, sed natiuo procreatam, altamque Marte, vt verius, sanctiusque dixeris, eam ex parentis sui mente natam, quam ex Iouis cerebro Minervam, mentitur antiquitas.

Cæterum non illa solum, quibus vltimam imposuerat Soarius manum, & Sacræ inquisitionis iudicio commiserat (nempe de Gratia, de Angelis, ac de Opere sex dierum) nihil remerata dabimus; sed in reliquis etiam, quæ promissimus, nefas iudicauimus solum abrumperere, aut aliunde quæsitum miscere; quod ipsum optare neminem non videmus, vel quia nos hos, suppositosve scetus facile aspernamur, vel quia tanti Authoris cura etiā negligentior, multorum vigilas anteuertit, cuius rei testem non laudo alium, quam illas ipsas de Anima lucubrationes, quas operi sex dierum diximus adijciendas. Eas enim quadragesimo quinto ante mortem anno (is erat ætatis illius vigesimus quintus) auditoribus propinauerat; opus certe hominis, qui iam tunc in scholis consensuisse videri poterat. Quod si ita est, vt plane sentimus; audentes prosequimur, & pollicemur, nihil minus placituros, optime lector, quos paulo antere tulimus labores.

De præfenti opere dicere superfedeo, ne aut superuacaneæ commendationis incuseri aut videar (quod erit longe infelicius) non laudare opus, sed impari ingenio, aut dictione deterrere. Tam clarum est, tam late propagatum Francisci Soarij nomen; tanta nube testium longo xuo firmata operum dignitas, & excellentia, vt certum in vtroq; secum afferant præiudicium; ac solo Soarij inscripta Epigrammate splendide commendentur, neque opus sit de prolis generositate sciscitari, vbi constiterit de parente. Vnum illud egregio dolendum in opere, quod ad vmbilicum vsq; non prodeat absolutum: cum medium omnino interdatur. Eius rei causam non aliunde melius intelligere licebit, quam ex epistola Summi Pontificis, Autoris encomijs non respersa modo, sed cumulata.